



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET  
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||  
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

**Binsfeld, Peter**

**Avgvstae Trevirorvm**

**VD16 B 5530**

Prima Conclusio. Certum est maleficos & magos mediante Dæmonis opera posse producere ranas, cyniphes, erucas, & similia animalia imperfecta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41113**

## QVAESTIO. IX.

*An Magi & Malefici nostri etiam possint seminibus & arborum floribus, nocu-  
menta inferre productione ranarum, mu-  
rium, erucarum, locustarum, & similium be-  
stiolarum?*

Ex confessione earum percipimus passim eas fateri, quod non raro huiusmodi operentur: proinde paucis huic quaestioni respondendum.

Prima Conclusio. *Certum est maleficos & magos mediante Demonis opera posse producere ranas, cyniphes, erucas, & similia animalia imperfecta.*

**H**AEC conclusio probatur ex scriptura Exod. 7. & 8. fecerunt malefici per incantationes suas ranas, & serpentes. At Cyniphes educere non potuerunt, non ob eorum impotentiam, sed quia aderat dominatio prohibetis per Spiritum S. ut ait D. Augustin. lib. 3. de Trinit. cap. 9. Vnde Scriptura inquit: *Digitus Dei est hic.* Atq; quantum ad hanc Conclusionem attinet eam communiter DD. Theologi recipiunt. D. Hieron. Lyran. Dionysius Carthusianus, & alij in cap. 8. Exod. August. in loc. cit.

cit. S. Thom. 1. part. q. 114. artic. 4. Alexander Alensis in 2. part. q. 43. memb. 2. Magist. in 2. d. 7. in fine. Bonavent. & alij ibidem. Guilhelm. Parisien. in lib. de vniuerso, part. 3. & alij communiter alibi. Ad eundem effectum facit Psalm. 77. Et dedit ærugini fructus eorum: & labores eorum locustæ. &c. Et deinde subiungit: immisiones per angelos malos. In quem Psalm. legendi D. Augustin. Cassiodor. & alij.

Secunda Conclusio. *Ad productionem talium bestiarum & animalium imperfectorum, Demon ex pacto cum mago & malefico tantum dispositiue concurrat per applicationem agentium naturalium.*

HANC docet August. in d. lib. 3. de Trinit. cap. 8. & post eum S. Thom. Alens. Bonavent. & alij. Ait enim August. Non solum malos, sed nec bonos angelos fas est putari creatores, sed pro subtilitate sui sensus & corporis, semina rerum istarum nobis occultiora noverunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt, atq; ita gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum præbent occasiones.

Tertia Conclusio. *Huiusmodi animalia iam ad operationem Demonum producta*

pp 2 ducta